

Cœlorum Gal. 5. v. 19. 20. 21. At verè fideles, quà tales, non excluduntur è regno cœlorum Joh. 3. v. 16. 18. E. 3. Nec *flagitia praelectiva*, sed peccatum originale est in homine ab ipsà statim infantia, ut abunde patet.

21. Sicut igitur hic *per oppositionem* minimè fas est concludere ita: Gen. 6. & 8. capitibus agitur de peccato *originali*. E. non simul de *actuali*: ita quoque per turpem oppositorum Etenchum Photiniani sic argutantur: Gen. 6. & 8. capp. agitur de peccato *actuali*. E. non simul de *originali*. De utroque enim peccato simul ibi agitur: sicut jam liquet.

22. Hinc itaque *Assumptionem* dati Syllogismi sic probo: Figmentum cordis humani duntaxat malum est *ab infantia*, non verò tantum à *pueritiâ*, ab *adolescentiâ*, à *juventute* hominis. E. etiam *infantes* polluti sunt peccato originis, non ἀεργῶ, sed κακοεργῶ, quantum esse potest *infantibus*. Et jézer licet fictionem hominis hic notet: tamen connotat ipsam massam cordis humani, eamque pravam esse arguit: Uti etiam יצ׳ sumitur Ps. 103. v. 14.

23. Absurdus enim est *Socinus*, qui in prælect. c. 4. p. 12. asserit, Deum Gen. 6. & 8. non docere: quod figmentum cordis humani sit malum *ab infantia*: sed *si sit*, id tantam vim non habiturum apud ipsum, quam antea habuerit. Quæ est pessima verborum Dei depravatio, pugnans cum lege divinâ, *juxta cujus censuram*, peccatum retinet suam vim & ἐνέργειαν. Et Deus non *conditionaliter*, sed *simpliciter* asserit, *figmentum cordis humani esse malum ab infantia*. Quod autem Deus in illud non semper animadvertit, inde verò est, quod multi homines salutarem agunt pœnitentiam, & in Christo Mediatore & Redemptore (cujus λύτρον & satisfactionem pro nostris peccatis, Photiniani pessimè negant) suam ponunt fiduciam, exemplum Noachi imitantes. Hæc de *pimâ* Assumptionis probatione.

24. 2. Assumptionem propositi syllogismi demonstro ex Psal. 51. v. 7. Enthymema esto tale: David verè & propriè scribit, quod in iniquitate sit formatus, quodque mater ipsum in peccato foverit seu calefecerit, & calefaciendo conceperit: quemadmodum verbum יצ׳ *chamab* (quod analogiam habet cum verbo יצ׳ *jacham*, Psal. 51. 7. posito,) usurpatur Gen. 30. v. 39. Ubi tamen quidam ponunt eandem radicem יצ׳ *jacham*. E. omnes homines, *cùm à Christo solummodo discessero*, concipiuntur in peccato originali, seu malo naturali. Quamvis enim vulgata versio, Psal. 51. *pluraliter* loquatur: *in iniquitatibus*